

Data II. Idus Novembris anno incarnationis dominicae DCCCCXCV., indictione VIII., anno vero tertii Ottonis regnantis XII. Actum Mogontiae feliciter amen.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem aufgedrückten Siegel des Königs.
Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 4.

No. 15. 996. (995). 6. Dec.

K. Otto III. bestimmt die Grenzen des Bisthums Meissen und überweist dem Stift den Zehnten innerhalb seines Bezirks.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto divina favente clementia rex. Notum sit omnibus in Christo fidelibus scilicet praesentibus et futuris, quomodo nos pro remedio animarum dilecti avi nostri simul et patris nostri nec non pro nostrae animae remedio more antiquorum imperatorum et regum, nostra regali potestate Misnensi episcopatu terminum posuimus nominando fines et determinationes locorum sicut infra tenetur. Ubi caput et fons aquae, quae dicitur Odera, inde quasi recta via usque ad caput Albiae, inde deorsum in occidentalem partem, ubi divisio et confinium duarum regionum Behim et Nisenin; ibidem ultra Albiam et per silvam in occidentalem partem usque ad caput Mildae, et sic deorsum ambas plagas eiusdem fluminis, scilicet prope occidentalem ripam Rochilnze, et sic usque dum Milta intrat in Albiam. Nec non ob hoc diximus in occidentali plaga, quia multae villae pertinent ad orientales urbes. Et sic sursum et ultra provinciam Nizizi ad eundem terminum sine dubio, nec non in altera parte Lusizi et Selboli, et sic usque ad civitatem Zulfiza, illam videlicet infra eundem terminum. Et inde in aquam quae dicitur Odera, et sic Odera sursum usque ad caput eius. Omnes vero qui infra terminum istum habitent, in omni fertilitate terrae frugum et pecudum, in argento, vestimento nec non quod Teutonici dicunt ouarcapunga et talunga familiarum, insuper tota utilitate et in omnibus rebus, quibus mortales utuntur diversis modis, decimationes, quas deo cuncta gubernanti debent ad Misnensem ecclesiam, primo deo, deinde sancto Johanni evangelistae beatoque Donato martyri dei universa dubietate procul remota persolvant, referant et reddant. Et si quis hoc praeceptum in remunerationem deo constitutum disvestire vel dirumpere temptaverit, odium dei sanctorumque omnium incessanter habeat. Et ut haec nostrae regiae potestatis donatio et constitutio nunc et in futuro firma et inconvulsa permanendo consistat, hoc praeceptum inde conscriptum sigilli nostri inpressione signare iussimus manumque propria, ut infra videtur corroboravimus.

Signum domni Ottonis (L. M.) magni et gloriosissimi regis. (L. S.)

Hildibaldus episcopus et cancellarius vice Uuilligisi archicapellani recognovi.

Datum VIII. Idus Decembris, anno dominicae incarnationis DCCCCXCVI. indict. VIII. anno vero tertii Ottonis regnantis XIII. Actum in Franconofurt feliciter amen.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden; von dem aufgedrückt gewesenen Siegel sind nur einige Bruchstücke noch vorhanden. — Die Jahreszahl 996 erregt, obschon Indiction und Regierungsjahr hiermit stimmen, desshalb Bedenken, weil Otto bereits am 20. oder 21. Mai d. J. in Rom als Kaiser gekrönt worden war. König Otto war dagegen am 9. Dec. 995 in Frankfurt.

Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 5.